



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cursvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. In ordine ad quid constituitur differentia in esse vniuersalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

poterat dari per quatuor, imo & per duo, ita poterat etiam dari per quinque, vel absque vlla inconuenientia.

Ad confirmationem primam transeat antecedens, quantum est ex natura rei: nec tamen deberent nominari, quia poterant vel nominari, vel non nominari, prout placeret diuidenti, cui satis est, quod diuidat diuisum adæquate, non relinquendo vllum membrum diuidens, quod non exprimat vel in se formaliter, vel in aliquo continente ipsum. Dixi autem: *transeat quantum est ex natura rei*, quia quantum ad opinionem particularem Porphyrij poterat esse aliqua ratio particularis, cur non nominauerit differentiam infimam tanquam vniuersale distinctum, nimirum, quia forte existimauit non dari differentiam infimam.

Et per hoc patet ad secundam confirmationem, cuius antecedens est negandum: quia ratio poterat esse quod, vt iam dixi, non putauit dari differentias infimas: vel quia, cum id esset in controuersia, noluit id decidere, nec nominare differentiam illam expresse, de qua non constabat omnibus, an daretur, nec ne.

QVÆSTIO III.

In ordine ad quid constituitur differentia in esse vniuersalis.

18 Q Vandoquidem differentia qualibet etiam primo intentionaliter accepta dicat ordinem & ad genus quod diuidit, ac determinat, & ad speciem, quam constituit, & ad inferiora illius speciei, in quibus inexistere potest, verbi gratia rationalitas dicit ordinem ad animal, quod contrahit, ad hominem, quem cum animalitate constituit, & ad Petrum & Paulum, in quibus inexistit. Queritur hic, à quo ex his respectibus habet esse vniuersale metaphysicum. Quæ difficultas communis est ad differentiam subalternam etiam, de qua eadem est ratio quantum ad hoc, ac de infima. Solet etiam moueri hæc eadem difficultas de differentia secundo intentionaliter accepta: sed resolutio ex iisdem principiis dependet, nam per ordinem ad illa ipsa sine dubio constituitur in esse vniuersalis secundo intentionaliter accepti, per ordinem ad quæ constituitur in esse vniuersalis metaphysici.

Prima sententia est quod differentia constituitur in esse vniuersalis tertij per ordinem ad speciem, ita Caietanus, Tolentus, Sorus hic.

Secunda sententia est quod constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad propria inferiora ipsiusmet differentie, non vero per ordinem ad speciem aut inferiora speciei: verbi gratia rationale secundum hanc sententiam constituitur in esse vniuersalis tertij, non per ordinem ad hominem, nec ad Petrum & Paulum, alioque homines, sed per ordinem ad hoc & illud rationale, capiendū pro hoc rationali indiuiduum constitutum formaliter ex rationalitate & hæcitate sine consideratione alterius formalitatis. Hanc sententiam ex Sanchez reſeunt absque authoribus Complutensibus hic.

Tertia sententia communissima est, quod constituitur in esse huius vniuersalis tertij per ordinem ad inferiora speciei.

CONCLUSIO I.

Non constituitur in esse vniuersalis tertij per ordinem ad propria inferiora.

19 Non constituitur differentia in esse tertij vniuersalis per ordinem ad sua propria inferiora in sensu secunde sententie. Hæc est communis authorum aliarum sententiarum. Probat, quia respectu huius & illius proprii inferioris, verbi gratia rationale respectu huius & illius rationalis, prout rationale solum dicit indiuiduum constatum ex rationalitate & hæcitate, non est prædicabile in quale nec incomplete, sed in quid completissime, quandoquidem nihil consideretur in hoc rationali vt sic, præter rationalitatem & hæcitatē: ergo non constituitur in esse tertij prædicabilis per ordinem ad illa inferiora.

Et si queratur, cuius vniuersalis rationem habet rationale, prout prædicatur de hoc & illo rationali in prædicto sensu: respondeo quod habet rationem secundi vniuersa-

lis, nempe speciei, quia prædicatur in quid per modum totius essentie. Et per hoc potest responderi ad argumentum, quod posset fieri contra hanc conclusionem, nempe quod rationale sit prædicabile de hoc & illo rationali: sed non alio modo, quam vt tertium vniuersale: ergo constituitur in esse tertij vniuersalis per respectum ad hoc & illud rationale. Respondendum enim ex iam dictis negando minorem, quia de illo prædicatur vt species.

CONCLUSIO II.

20 Non constituitur differentia in esse tertij prædicabilis per ordinem ad genus præcise, nec per ordinem ad speciem præcise. Hæc quoad primam partem est omnium & quoad secundam partem est authorum secunda & tertia sententia contra primam.

Probat, prima pars primò, quia vniuersale, quia tale, dicit respectum ad inferiora, quorum quodlibet minus late patet ipso, vt constat tū inductione in cæteris vniuersalibus, tum ex comuni acceptione omnium de vniuersali vt sic: sed genus non est quid inferius differentia, sed potius differentia est quid inferius genere: ergo non potest differentia constitui in esse vllius vniuersalis per respectum ad genus.

Probat, secunda eadem pars & secunda etiam, quia omne vniuersale constituitur in esse tali per respectum ad plura, in quibus potest inesse cum multiplicatione: sed nec genus vt sic, nec species vt sic, sunt plura, sed potius genus est vnum, & species est vna: ergo differentia non potest constitui in esse vniuersalis præcise per respectum ad genus, aut speciem.

Confirmatur secunda pars, quia species non est inferius respectu differentie ipsam constituentis, sed potius conuertibilis cum ipsa, & consequenter æqualis ipsi; aut si non sit conuertibilis ex eo scilicet quod differentia vnius speciei posset conuenire alteri speciei, profecto rum species potius haberet rationem determinatiui differentie, quam è contra, & sic non erit differentia respectu ipsius.

21 Obiicit: hæc prædicatio est formalis & bona: homo est rationalis: ergo rationale est prædicabile per modum alicuius prædicabilis de homine, & consequenter inest ipsi per modum alicuius vniuersalis metaphysici: non per modum alterius quam differentie, seu tertij prædicabilis: ergo tertium prædicabile constituitur in ordine ad speciem, quam constituit.

Respondeo negando secundam consequentiam, nimirum quod rationale inest homini per modum alicuius vniuersalis, ex eo quod sit prædicabile de ipso per modum alicuius prædicabilis. Nam licet omne determinatum, quod est prædicabile de aliquo, sit vel indiuiduum, vel aliquod ex illis quinque vniuersalibus: tamen non est necesse vt habeat rationem indiuidui aut vllius ex illis quinque, vt comparatur ad quodcumque de quo prædicari potest: id quod patet euidenter, quia quando aliquis cognoscit albedinem esse in hoc pariete, & nescit vtrum sit accidens ipsi, aut proprietas, aut differentia essentialis, licet possit ipsam de pariete prædicare in concreto, prædicatione formali dicendo: paries est albus: & licet à parte rei albedo sit aliquod ex quinque vniuersalibus metaphysicis, saltem fundamentaliter, & remote: tamen non cognoscitur vt tale ab illo, qui eam prædicaret, nec consequenter vt tale eam prædicaret, neque enim potest prædicare nisi vt cognoscit. Et si queris qualis sit prædicatio rationalitatis de homine: respondeo esse prædicationem formæ de re, in qua includitur forma.

CONCLUSIO III.

22 Differentia constituitur in esse vniuersalis tertij per ordinem specialem, quem dicit ad inferiora speciei, in quibus potest inesse mediante specie. Hæc est communissima contra primam & secundam sententiam.

Probat, quia constituitur in esse vniuersalis per respectum ad aliqua plura, in quibus inesse potest, & constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinem ad illa, in quibus aliquo particulari modo, v.g. per modum formalitatis

Non constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinem ad genus aut speciem

Non omne prædicabile habet rationem vllius vniuersalis aut indiuidui per ordinem ad quodcumque

Differentia constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinem ad indiuidua speciei, quam constituit.

essentialis determinatiui, inesse potest: sed non sunt alia plura, in quibus sic inesse possit, præter inferiora speciei, quam constituit immediate, vt patet ex dictis: ergo constituitur in esse tertij prædicabilis per ordinem ad illa inferiora.

Dices: non potest de ipsis immediate prædicari, quandoquidem non insit ipsis immediate, sed prius insit speciei, & mediante specie insit inferioribus illius speciei, verbi gratia rationalitas non inest immediate Petro, sed immediate inest humanitati, quam cū animalitate constituit, & mediante humanitate inest Petro, & reliquis indiuiduis: sed vniuersale omne debet immediate esse prædicabile de iis, respectu quorum est vniuersale; ergo differentia non constituitur in esse tertij prædicabilis per ordinem ad inferiora speciei, quam constituit.

23. Respondetur communiter negando minorem: sufficit enim ad hoc, quod aliquid habeat rationem vniuersalis respectu aliquorū, quod de ipsis sit prædicabile, & quod non sit prius per modū vniuersalis prædicabile de aliis: hoc autem competit differentiis, verbi gratia rationalitati; nam & est prædicabilis de Petro & Paulo cum multiplicatione, & licet sit prius prædicabilis de humanitate, sicut prius inest illi, tamen nō est prædicabile prius de vllis pluribus, nec consequenter est prædicabile per modum vniuersalis de vllis prius, quā de Petro & Paulo.

Vt autē melius intelligatur hæc conclusio, aduertendum quod possit habere duplicem sensum: vnum præcisiuū sit, vt vellet quod à solo ordine ad inferiora speciei absque ordine ad ipsam speciem aut genus differentia haberet rationē tertij prædicabilis ita, vt aliquis possit habere conceptum de differentia, verbi gratia de rationalitate, quod esset tertium prædicabile, per hoc quod consideraret ipsum, vt potens inexistere Petro & Paulo tali determinato modo, & quod posset ipsum sic cognoscere absque eo quod cognosceret ordinem, quem diceret ad genus aut speciem. Secundus sensus esset, quod haberet quidem esse vniuersale ab ordine ad illa inferiora ita, vt ille ordo requireretur, licet etiam requireretur ordo ad speciem aut genus: vnde dubitari potest, in quo sensu debeat intelligi: ad quod dubium soluendum sit.

CONCLUSIO IV.

24. Necessario & per se requiritur ad tertium vniuersale ordo ad speciem ita, vt non possit esse vel concipi sub ratione tertij prædicabilis, quin consideretur sub tali ordine; non requiritur vero iam necessario ordo ad genus, prout genus dicit aliquid communicabile pluribus speciebus. Hanc nō inuenio expresse apud authores, sed vix potest esse in controuersia, si bene intelligatur.

*Probat*ur prima pars, quia non potest rationalitas, verbi gratia, considerari inesse Petro & Paulo per modum determinatiui essentialis; nisi intelligatur esse in Petro & Paulo formalitas essentialis, quam determinat, & totum constituitur ex illa formalitate determinabili & formalitate determinatiua: sed illud totū est species: ergo per se ita requiritur ad differentiam, vt sic, ordo ad speciem, vt non possit nec esse, nec concipi sine illa.

Confirmatur: ad hoc vt cognoscatur differentia vt tertium prædicabile, nō sufficit quod possit inesse Petro, & Paulo, quia genus & species possunt ipsis inesse: ergo requiritur ulterius, vt cognoscatur inesse ipsis per modum partis essentialis determinatis seu determinatiui: sed sic concipi nequit, nisi concipiatur ordo ipsius ad speciem, quam constituit: ergo requiritur ille ordo.

*25. Probat*ur secunda pars, quia vt cognoscatur rationalitas inesse Petro & Paulo per modum formalitatis essentialis determinatiui, non requiritur formaliter vt cognoscatur quod illud, quod determinat, verbi gratia animalitas, sit communis pluribus speciebus, sed sufficeret cognoscere, quod posset esse comunicabilis pluribus indiuiduis: sed requireretur quod cognosceretur vt comunicabile pluribus speciebus, ad hoc vt cognosceretur per modum generis, & vt cognosceretur quod differentia diceret ordinem ad ipsum, tanquam genus. Dico autē tanquam ad genus formaliter loquendo, quia fortassis de

facto differentia propriissima omnis dicit ordinem ad genus: fortassis enim illa formalitas, cū qua constituit speciem, est semper comunicabilis pluribus speciebus, & consequenter genus; sed tamē non requiritur quod cognoscatur vt tale, aut vt sit tale, formaliter loquēdo, ad rationē differentia cognoscendā; nam si per impossibile nō esset tale, adhuc haberetur ratio & cognitio differentie.

26. Quæres hic, à quo sumatur formalitas differentia metaphysica, an scilicet a materia vel a forma?

Respondetur primo, quod non sumatur a materia, aut forma, aut vtraque, quali nihil constaret differentia metaphysica, nisi quod constaret materia aut forma, quia Angeli non includunt materiam aut formā physicā, & tamen constant differentia metaphysica, per quam vnus Angelus distinguitur ab altero Angelo & cæteris rebus, quæ non sunt Angeli.

Respondetur secundo, posse dici quod differentia metaphysica rerū constantium materia & forma desumatur à formis ipsarum, & non à materia, intelligendo per hoc quod differentia earum habent maiorem proportionem cum forma quā cum materia, quæ proportio consistit in hoc, quod quemadmodum formæ sūt determinatiuæ ac perfectiuæ materiā, & distinctiuā physica rerū includentium materiam & formā, ita etiam differentia metaphysica sūt determinatiuæ & perfectiuæ generis, ac distinctiuā metaphysica rerū constantium eodē genere.

Respondetur tertio, non sumi differentiam metaphysicā à sola forma, quasi illa formalitas in sola forma includeretur, & ratione formæ præcise competeret illi composito, cuius est differentia metaphysica. Patet, quia aliās differentia metaphysica rei distingueretur realiter ab ipsa re, verbi gratia rationalitas ab homine, quod est absurdum. Probat sequela, quia forma physica distinguitur realiter à composito, verbi gratia anima rationalis ab homine, quando quidem possit existere anima in rerum natura, non existente homine: ergo quidquid includitur in illa re, erit etiam realiter distinctum ab homine, & consequenter si rationalitas includitur in anima, distingueretur realiter ab homine.

27. Respondetur quarto differentiam metaphysicā rerum compositarū ex materia & forma radicaliter desumi ex ipsis, quatenus scilicet ipsa res composita, cuius est differentia, constituitur ex materia & forma; nec consequenter esset differentia eius, nisi esset materia & forma: non debet autem dici quod forma sola sit principium radicale physica eius; nec materia sola, quia neutra sufficeret sine altera, sed vtraque simul debet dici principium physicū radicale eius. Quod si tamen velit aliquis vocare principium radicale physicū illam partem solam ex partibus physicis, quæ nequit reperiri in composito vllō sine differentia tali, & sine qua nequit reperiri illa differentia: tum potest dicere quod forma sola sit principium radicale omnis differentia metaphysica, quia inter se differunt res constantes materia & forma, quia materia potest esse in composito aliquo sine quacūque determinata differentia, verbi gratia potest esse in bruto sine rationalitate, in homine sine irrationalitate, in lapide sine alterutra: forma vero nequit esse in composito vllō absque differentia metaphysica tali determinata, nec differentia talis absque forma tali determinata: nequit enim forma lapidis, esse in aliquo composito, in quo nō sit differentia lapidis, nec potest esse differentia lapidis absque eo quod res, in qua sit, habeat formā lapidis. Similiter anima rationalis nequit esse in aliquo composito, in quo non sit rationalitas, nec rationalitas potest esse in aliquo, præsertim composito physico, in quo non sit anima rationalis. Vnde iuxta hoc possunt intelligi illi, qui dicunt principium physicū radicale formale differentia metaphysica esse formā, & ab hac illam desumi formaliter: de quo non potest esse alia quæstio quam de nomine.

28. Quæres secundo, vtrum compositio metaphysica generis & differentia, quæ componunt speciem, sit realis?

Respondetur breuiter non esse reale strictè loquendo quia extrema nō distinguuntur realiter strictè loquēdo, vt

A quo sumitur differentia metaphysica.

An compositio ex genere & differentia sit realis.

supponunt omnes tanquam certum; est tamen realis, prout talis dicitur illa, quæ non dependet ab operatione intellectus.

Probatur ex principiis omnibus, ex quibus colligitur dari distinctionem formalem actualem antecedentem omnem operationem intellectus inter gradus metaphysicos, animalitatem verbi gratia, & rationalitatem, quæ principia hic non sunt proponenda; supposita enim illa distinctione, nihil impedit quo minus genus & differentia componant realiter formaliter speciem. Quod autem de genere & differentia, prout dicunt illas formalitates quæ denominantur genus & differentia, non vero ut sunt formaliter genus & differentia, quia fortassis ut sic, non sunt à parte rei.

Confirmatur, quia illæ formalitates identificantur & coniunguntur realiter ante operationem intellectus, & neutra ex ipsis est infinita; ergo compositio ipsorum est realis ante operationem intellectus. Probatur consequentia, quia per compositionem realem talem nihil aliud intelligimus quam talem coniunctionem extremorum, quorum neutrum est formaliter aut realiter infinitum. Dico autem, quorum neutrum est formaliter aut realiter infinitum, quia si fuisset infinitum, illa coniunctio, & identificatio, non deberet vocari compositio: unde negamus essentiam diuinam, licet distinguatur formaliter ab attributis & relationibus, & identificetur illis realiter, facere cum illis compositionem vllam realem. Qui negant hanc resolutionem fundantur in principiis, quæ opponuntur distinctioni formali, quæ suo loco in Metaphysica soluentur.

QVÆSTIO IV.

Virum differentia inferior includat genus aut differentias superiores, aut includatur in illis.

29 **Q**uandoquidem genus, & differentia tam superiores quam inferiores identificentur realiter, licet distinguantur formaliter, eaque, quæ sic identificantur, realiter & identice includant se inuicem, non potest controuersia huius questionis in hoc consistere; sed difficultas est an genus, verbi gratia animal, in suo conceptu formali tanquam aliquod prædicatum actuale intrinsecum includat rationalitatem, quæ est differentia contractiva eius ad esse hominis; aut è contra, an rationalitas in suo conceptu formali, tanquam prædicatum intrinsece & actualiter in se inclusum, inuoluat animalitatem aut animal. Rursus eodem modo difficultas est de differentia superiori verbi gratia sensitiuitate, quæ constituitur formaliter animal, & rationalitate quæ contrahitur animal, quæque consequenter est inferior ad sensitiuitatem, quandoquidem sensitiuitas sicut & animal, magis late pateat quam rationalitas.

Prima sententia est, differentias inferiores includere genus formaliter, & consequenter etiam differentias superiores, quæ includuntur in genere: ita *Canterus* hic, & fauet *Soncinas* 7. *Metaph. quest.* 37.

Secunda sententia est, quasdam differentias inferiores includere formaliter genus, ac superiores differentias, quasdam non includere. Et ut intelligatur, quamnam includant, quamnam non includant, dicunt aliquas esse differentias alicuius generis, quæ non possunt à parte rei competere vlli alteri, nisi ipsi generi vel rebus contentis sub illo; ut si rationalitas hominis nequeat alicui competere quam animali. Aliæ sunt differentie generis, quæ possunt competere aliis rebus non contentis sub illo genere, ut si intelligeretur per rationalitatem, quæ est differentia hominis à bruto, principium intelligendi spiritualiter, abstrahendo à modo particulari quo intelligit homo, ut distinguitur ab Angelo; sic enim intellecta competere: aliis quam animali, nempe Angelo.

Dicunt ergo authores huius sententiæ, quod illæ differentie primæ non perfecte præscindant à genere, nec genus ab ipsis, & consequenter, quod inuoluunt genus ac differentias superiores: & in hoc videntur conuenire cum prima sententia. Differentie vero secundæ perfecte præscindunt à genere & differentiis superioribus, nec

consequenter includunt formaliter genus aut differentias superiores: & in hoc dissentiunt à prima sententia. Ita *Auersa* q. 13. *sect.* 5.

Tertia denique sententia communissima est, quod differentie inferiores vniuersaliter, nec includat formaliter genus aut differentias superiores, nec includatur formaliter & actualiter in illis, licet includantur in illis potestatiue, quatenus scilicet genera & differentie superiores sunt contrahibilia per differentias inferiores. Ita *Doctor* 1. *Poster. q.* 24. & 1. *Met. q.* 17. cum suis ac Thomistis citatis à *Complutensibus* hic q. 4. num. 41.

CONCLUSIO I.

30. *Genus non includit formaliter differentiam inferiorem, nec etiam differentia superior differentiam inferiorem.* Hæc est tertiæ sententiæ contra primam & secundam ex parte.

Probatur primo, quia potest perfectissimus conceptus haberi generis & differentie superioris, v.g. animalis, & sensitiuitatis, quæ est differentia constitutiva eius & superior ad rationalitatem, secundum omnia prædicata, quæ actu includunt atque intrinsece, non concipiendo rationalitatem nec hominem; ergo non inuoluunt, nec includunt in suo conceptu actuali intrinsece animal hominem, aut sensitiuitas rationalitatem. Probatur antecedit, quia perfectissimus conceptus animalis & sensitiuitatis, prout hic à nobis concipi possunt, est quod sit substantia viuens, potens sentire; nec aliquid aliud requiritur ut perfecte concipiatur, quæ animal & quæ sensitiuum: sed ille conceptus habetur sine dubio absque eo, quod vlllo modo concipiatur homo aut rationalitas; ergo conceptus perfectus generis & differentie superioris haberi potest absque conceptu differentie inferioris.

Confirmatur efficaciter, quia animal secundum totam rationem formaliter, quæ intrinsece includit, quæ genus, non solū potest esse in intellectu obiectiue absque rationalitate, quod sufficeret ad intentum nostrum, sed etiam à parte rei, quod multò maius est: sic enim reperitur realiter in bruto, in quo sine dubio non reperitur rationalitas, alias brutum esset animal rationale & consequenter homo; ergo non includit formaliter actualiter, tanquam prædicatum intrinsecum, aut necessario coniunctum cum prædicatis suis intrinsecis, rationalitatem.

Dices pro Auersa totum hoc argumentum valere optime de generibus perfecte præscindentibus, non verò de non perfecte præscindentibus.

Contra primo, quia valet de animali respectu rationalitatis, etiam si rationalitas non posset conuenire aliis generibus: sed in tali casu non perfecte præscinderet animal secundum ipsum; ergo valet de generibus non præscindentibus, prout ipse explicat genera non præscindentia.

Contra secundo, quia falsum est dari vllum genus aut Allum conceptum vnum determinatum commune pluribus diuersis speciei, & realiter distinctis, quod genus, aut qui conceptus vnus non præscindat perfecte ab illis pluribus & ipsorum differentiis: ergo probatio prædicta, si valet (ut ipse fateatur) de genere præscidente, valet de omni genere, & de omni conceptu vno determinato, & sic probat conclusionem vniuersaliter.

Contra tercio ad hominem, quia ideo secundum ipsum differentia, à qua genus perfecte præscindit, non includit genus, quia potest reperiri cum alio genere; ergo si tenus quodcumque potest reperiri cum alia differentia præter vnam, verbi gratia si animal potest reperiri in bruto absque rationalitate cum irrationalitate, ut de facto reperitur, non includit formaliter illam vnam differentiam, verbi gratia rationalitatem, siue hæc poterit reperiri cum alio genere, siue non poterit.

CONCLUSIO II.

31. *Differentia inferior non includit in suo conceptu formali actu intrinsece genus, aut differentiam superiorem.* Hæc etiam est authorum tertiæ sententiæ contra primam, & secundam etiam ex parte, sicut præcedens conclusio.

Probatur conclusio, quia si rationalitas includeret for-

Nec genus, nec differentia superior includit differentiam inferiorem.